

XVI

Elogium sancti Sudarii.

(Extrait du *Martyrologium Gallicanum* d'André du Saussay.)

Duodecimo kalendas novembris (die 21^a octobris). Hodie facta est apud Compendium reseratio et propalatio Dominicæ Sindonis, hoc est sacri et venerabilis LINTEAMINIS, quo corpus Christi ipsius, Servatoris, involutum triduo in sepulchro requievit, sacrario basilicae sanctorum martyrum Cornelii et Cypriani Compendiensis pridem a Carolo Calvo, imperatore, illati ac conditi in vase eburneo, e quo, praesente Philippo primo, rege christianissimo, Mathildis, pientissima Anglorum regina, voto obstricta, in capsam auro gemmisque decoratam transponi fecerit anno Christi millesimo nonagesimo secundo, magna cum multitudinis assistentium devotione. A quo tempore pignus ipsum adorandum minime e scrinio depromptum fuerat, donec, anno salutis millesimo quingentesimo decimo sexto, religiosa Francisci primi Francorum regis efflagitatione, ingenti cum apparatus celebritate, elicitum fuit e sanctuario publicaeque venerationi expositum per Focaldum de Bonneval episcopum Suessionensem et Franciscum Ambianensem, assistantibus Joanne sancti Medardi Suessionensis, Nicolao Ursicampi abbatibus et fratre Guillelmo Parvi, regis a sacro confessionale, cum copioso sacerdotio et magistratibus peneque innumera populi multitudine, quae sacratissimæ Christi passionis monimento, tanquam in speculo, livores quos pro humana redemptione perpessus est intuita, miris pii horroris concussa stimulis, magno cum religionis sensu ac spiritu profusisque animae gemitibus, stupendum opus divinae misericordiae ac patientiae adoravit.

ANDRÉ DU SAUSSAY, évêque de Toul de 1656 à 1675. *Martyrologium Gallicanum*, in-f°, Paris, 1637, t. II, p. 765 et 766.
